



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

Februarius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)



FEBRUARIUS.

S. IGNATIUS  
EPISC. & MARTYR.

1. Februarii.

*Si quis non amat Dominum Jesum,  
anathema sit. S. Paulus.*

**I**GNATIVS ex Joannis Apostoli schola  
Idocilis oppidò discipulus, tam altè in  
pectus suum demisit Jesu amorem, ut hunc  
unum loqui lingua, hunc unum dictare ani-  
mus sciret, illud unum denique in deliciis ei  
verbum esset: AMOR MEUS CRUCIFIXUS EST.  
Certè quod hunc ubique præ se ferret, glo-  
riosum Theophori nomen reportavit. Illud  
quantum amantis animi robur fuit, cum  
sanctè audax omnia tormenta, omnes mor-  
tes unus unicus provocare in certamen non  
dubitavit, cum ad bestias damnatus, labo-  
rantibus ex hostili manu eripere Præsulem  
suum Christianis, solus nimirum ipse inter-  
cessit, DEI amore obtestatus, ne ad co-  
ronam

ronam currenti obsisterent. Et verò prægu-  
stasse, cum Romam iret, ferarum rabiem  
sibi ipsi visus est in X. militibus, qui custo-  
diæ causâ additi, usque adeò hominem  
vexaverant, ut familiari joco Leopardos  
eos vocitarit. Iam caveis emissi leones  
horrendo rugitu theatrum compleverant,  
& ecce LENATIO piè adhuc ludere placuit.  
Frumentum Christi se dictitabat, gestire  
molaribus bestiarum commoli, quò delica-  
tus panis Superùm mensæ apponeretur. Sed  
hem majus tibi miraculum! Elidunt fauces  
IESVM suum inclamanti ora crudelia: ta-  
cere lingua cogitur Amores suos, quid ex-  
pectas? frustra silentium linguæ imperatur,  
ubi cor est eloquens. In hoc siquidem di-  
sertis litteris exaratum repererunt familiare  
illud Linguæ IESV nomen: breve quidem  
tam augusti monumenti, sed longè pulcher-  
rimum Epitaphium. *Ex Sur & Metaphr.*

## MEDITATIO

*De Amore JESU.*

**T**otum se nobis dedit Christus, ut amicitiam  
nostram sibi conciliaret totam! Vis ejus  
amicus fieri? illi te totum trade. Quam suave est,  
cor, corpus, animam JESU consecrare! Ah  
quanta

quantæ liberalitatis Dominus est , quantæ fidei amicus , quantæ potestatis Deus ! facessant omnia creata , me totum consecro JESU . Non nihil patiar , sed parvi refert , non tanti vitæ delicias facio , ut eas JESU meo antepoſnam . *Nihil pendō supplicii hanc , neq; tantum amo vitam hanc , ut eam plus amem , quam Dominus .* Ignat.

2. Quamdiu vixit , nobis vixit JESUS : vivendum ergo JESU tam dulci , tam constanti amico . Ad unum JESUM referamus cogitationes , & actiones nostras , & suavissimum JESU nomen in ore semper habeamus . Propter JESUM colamus parentes , observemus amicos , inimicis etiam beneficiamus . Admodum facile omnes amaverimus , si perspererimus in omnibus JESUM .

3. Ut tui , tuarumq; actionum munus acceptus sit JESU , toto animo incumbere in illius imitationem . Ab hac cogitatione diem auspiciare : volo esse amicus , volo esse similis JESU : vide , quoniam ipse ratione Patrem orabat , quo pacto agebat cum hominibus , & , cum aliquid facis , te ipse sapius interroga : fecissetne hoc JESUS perinde atque ego ? *Christus sit confabulator tuus , contubernalis tuus , & convivæ , imò Christus ipse sit tua delicia Damian.*

PURIFICATIO

PURIFICATIO B. M. V.

2. Februarii.

*Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt eum in Ierusalem, ut sisterent Domino. S. Luc. cap. 2.*

**I**Bat dies à partu VIRGINEO quadragesimus primus, quo terra dignum aliquando Cælo donum offerret. Gestabat hoc præpectore Virgo nuper, nunc geminâ felicitate Mater Virgo: latus Iosephus claudebat, Virgo Virginis Virginem gestantis comes. Gerebat illa munus in sinu, iste in oculis, arridebat euntibus Cælum, & spectatores Cives suos plenis agminibus effuderat: exi- liebat lætitiâ Tellus, & ad singula pedum vestigia singula fundere lilia gestiebat; cum interim jam Ierosolymam, jam templum pompa ingreditur, & obvius adest felix ille longâ ætate senex, felicior aspectu Servatoris futurus, felicissimè in Vitæ amplexu vitam positurus. Ergò in genua procumbit Virgo purissima, donumq; Cælo dicat, quo nec terra dare, nec cælum expetere majus poterat. Quid hinc dicam? parce nimium

F

MATER

Mater prodiga. Poteras charum pignus  
 pectore avellere? poteras alienis manibus  
 unicum Filiū concedere? & talem Filium  
 & tu, o Puer IESV suavissime, poteras ab  
 ire sinu tam dulci? poteras aliis ullis quam  
 Matris in ulnis delitescere? ite nunc paren-  
 tes avari, qui DEO negatis prolem. Oro  
 datis: Ite molles filii, qui pluris unam ma-  
 tris lachrimam, quam omnem IESV sa-  
 guinem facitis ingrati; Ite & utrique ætatē  
 florem discite non mundo, sed templi  
 sed aris, sed DEO dicare. *Ex Histor. Evan.*

MEDITATIO

*De Purificatione B. V. M.*

1. **U**T Divinæ gloriæ serviret Maria, & obed-  
 ret legi, coram hominibus honoris sui  
 trō jacturam facit, in hac enim Purificatione, non  
 Virgo non Deipara, sed una de immundis mulier-  
 bus existimatur. Hinc intellige, veram gloriam  
 Divino obsequio positam esse. Tametsi pessimo  
 omnium haberi necesse foret, modò Deus laudat-  
 tur, non est detrectandum. IESVS qui in circum-  
 cisione formam peccatoris induit, itemq; Maria in  
 Purificatione, non obscura illius veritatis præbet  
 argumenta. Vera gloria à iudicio Divino pen-  
 denter.

2, Maria devovet æterno Patri suavissimum ac  
 lectissimum

lectissimum Filium. Mirum sanè parentibus doctum mentum! Oportet, ut parentes ipsi filios suos Deo devoteant, non autem, ut sæpè fit, in eorum animis vivendi restringant voluntatem. Hodie, piissime Deus, offero tibi quicquid mihi carissimū est, cor, voluntatem, affectus, omnia.

3. Maria suæ in Patrem liberalitatis fructum refert amplissimum, jam enim recuperat & Filium & honorem suum; nam Simeon eam colit ut Dei matrem, miratur ut Virginem, & in porrectis ejus brachiis IESUM reponit. Si honorem, si cor tuum Deo dederis, etiamnum, in hac vitâ largiorē mercedem accipies. Quam suave est, tam liberali Deo servire, qui danti terrena, caelestia rependit! *Cur non caelo mutamus terram? quare non caducis emimus aeterna? quare non perituris manentia comparamus?* Chrysof.

## S. BLASIVS.

3. Februarii.

*Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Luc. cap. 13.

**B**LASIVS Sebastenus Episcopus in montem Argæum secessit, inde velut ex specula Gregi suo advigilaturus; ubi feras ad omne genus officii obsequentes habuit; fuitque tam sedulae virtutis stipendium bene

F 2

precat

precari stato tempore confluentibus. Sub  
 inde cum indagine mons cingeretur, nobil  
 venationis auctuarium BLASIVS accessit  
 dum ad quaestionem rapitur, non paucis sa  
 lutem attulit, inter quos filium memorandi  
 unicum unice matri suae dilectum, cui de  
 pisce spina fauces obsidens loquelam jam  
 eripuerat, vitam etiam creptura, nisi prior  
 eam e gutture BLASIVS rapuisset. Atque  
 hoc est, quod a Majoribus edocui simili in  
 periculo similem Divi opem hodieque im  
 ploramus. Caeterum ab hominibus ad feras,  
 non a feris ad homines dices migrasse, ita  
 barbarè ab Agricola sūdibus secundum ac  
 ceptus est. Ejus sanguinem cum septem ma  
 tronae legissent, ipsae quoque verberibus la  
 ceratae, in candidissimae innocentiae testi  
 monium non nisi lac per vulnera egressere,  
 quod tamen ipsum mox capite truncata  
 pulchre sanguine miscuerunt. At BLASIVS  
 undis, quibus mergendus erat, ancil  
 lantibus usus, lacum primò non aliter ac  
 pontem perambulavit, deinde velut fessus  
 molliter in medio aquarum consedit; hau  
 stis interim vortice LXIIIX. viris, qui Deco  
 rum suorum fiducia idem agere tentarant.  
 Tandem cum geminis unius ex septem, de  
 quibus

quibus dixeramus, matronæ filiolis, liquori  
cervicem præbuit. Quibus è vulneribus  
plus gloriæ quàm sanguinis manavit.

Ex Surio.

MEDITATIO  
*De solitudine.*

1. **P**oenitentiam age, & ut pœnitentia tua feli-  
cior sit ac fructuosior, S. Blasii exemplo,  
fuge in solitudinem, procul esto ab occasionibus,  
in quibus peccasti, ne eadem causæ eosdem habe-  
ant effectus. Jucundius nihil est, quàm solum cum  
solo JESU colloqui! ubi vel primis labiis hanc gu-  
staveris suavitatem, procul [inquies] procul cæ-  
nosæ mundi voluptates. Ah! mundanum murmur  
obtundit aures illius, qui solitudinis novit tranquil-  
litatem. *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradysus.*  
Hieronym.

2. Si propter vitæ tuæ conditionem homines fu-  
gere minùs possis, potes quidem certè habere cor-  
dis solitudinem. Singulis annis quosdam dies, sin-  
gulis diebus quædam tempora seligito, quibus Deo  
& animæ vaces. Vide singulis horis, quid feceris?  
Quid factururus sis? an is es, qui Deo tantulum  
tempus denegaturus sis? Memineris solitudinem  
cordis esse pernecessariam. *Quid prodest solitudo cor-  
poris, si solitudo defuerit menti?* Greg.

3. Sub noctem peractis negotiis, attende ad  
peccata commissa, ut veniam petas; ad piè facta,

ut gratias agas. Quam latus, si benè ! quam tristis,  
si malè diem transegeris ! Heu ! vita sicut dies hæc  
extinguetur. Et forsitan hæc dies erit ultima vita  
tua. An paratus esses ad reddendam Deo rationem ?

## S. THEOPHILVS, CONFESS:

4 Februarii.

*Quid tibi negabitur (ò Maria!)  
cui negatum non est, Theophilum  
de ipsis perditionis faucibus re-  
vocare: nihil tibi impossibile, cui  
possibile est, desperatos in spem  
beatitudinis relevare.* Damiani  
Serm. i. de nativ. Virg.

**O** Semper insidiosa demissis animis am-  
bitio ! THEOPHILVS ille, qui Infu-  
lam ultrò oblatã ultrò rejecerat, mox offi-  
cio Oeconomi ab æmulis se dejici adeò in-  
dignatus est, ut excire in auxilium Orcum  
non vereretur. Ergò ad Magum, cum hoc  
ad juratum humani generis hostem curritur:  
DEVM, Dei que Matrem ejurare non titu-  
bat lingua impudens, non erubescit scripto  
firmare

firmare calamus impius, sustinet obsignare  
 fœdus infandum gemma perfida: Verbo,  
 IESV ac Mariæ nuper libertus, dæmonis a-  
 bit mancipium. Sed sequitur & nocentem  
 Conscientia flagellat; quin honori jam suo  
 restitutum acrius etiam torquet. Quid fa-  
 cetet? quò fugeret impius transfuga? ad  
 magnæ Matris ubera, per quæ Filium sauci-  
 ârat? ad vulnera Filii, per quæ Matrem im-  
 petierat? & tamen ad Matrem ausus est  
 confugere; memor semper Matrem facilius  
 flecti, quàm iudicem. Itaque ad Marianæ  
 ædis limina quadraginta ipsos dies noctesq;  
 perstare, sed longè magis ipsam Cœli por-  
 tam Virginem amovere, hanc lachrimis mol-  
 lire, hanc gemitibus pulsare, hanc jejuniis  
 frangere. Cedit itaque vim facienti facilis  
 aliàs janua. Admittitur per Matrem ad Fi-  
 llii gratiam THEOPHILVS, extortósq; in-  
 fames hosti codicillos aufert. Hos ubi pa-  
 lam igni dedit, post triduanam febriculam  
 per notam sibi & jam apertam portam Cæ-  
 lum ingreditur. Agnoscite felicitatem ve-  
 stram in THEOPHILO Mariophili. Sit  
 omnibus aliis angusta cœli porta, certè  
 vos latam amplamq; habetis.

*Ex Surio,*

F 4

MEDIT-

*Maria mediatrix Peccatorum.*

1. **Q**uod est asyllum reis, & urbs refugii malefactoribus, ne pereant, hoc est Maria peccatoribus. Audi Bernardum. *Maria est Regina misericordie, quod divina pietatis asyllum, cui vult & quomodo vult creditur aperire; ut quisvis enormis peccator non pereat, cui sancta Sanctorum Patrocini sui Suffragia prestat. O Domina! defensio generis humani, portus & protectio eorum, qui ad te confugiunt, quis unquam hominum tuam fideliter rogavit opem, & fuit unquam derelictus? Eutychianus.*

2. Monstrat se esse matrem, & mediatricem, monstrando pro salute peccatoris ubera, quae lactaverunt Christum Dominum. Audi Abbatem Bonævallis Arnoldum Carnot: *securum accessum homo jam habet ad Deum, ubi mediatorem sua cause filium habet ante Patrem, & ante Filium matrem: Christus Patri ostendit lacum & vulnera, mater Christo pectus & ubera, nec potest esse repulsa, ubi concurrunt & erant omni lingua disertius hac clementia monumenta & clementie insignia, quando videlicet petitur ut sanguis Christi, & lac matris pro nostra causa loquatur.*

3. Sicut in cælo inter leonem & libram mediat signum virginis, sic inter Christum [ qui est Leo de tribu Juda ] & libram ejus judicariam, in qua peccata nostra severissime ponderanda sunt, mediat, suoque intervenit patrocinio Maria, miserorum causas mitigat, & rigorem temperat tremendi judicii divini.

S. AGA.

1050) 91. (1050  
S. AGATHA.

5 Februarii.

*Speſtaculum facti ſumus mundo ,  
Angelis & hominibus.* S. Paul. 1. cor. 4.

**A**NNO CCLIV. AGATHA Catanam ad  
Quintianum Prætoſem abducitur. De-  
peribat hic Chriſti Sponſam. Quare eam  
Aphrodiſiæ lenæ commendat , facile ratus  
fidei caſtrum evertere , ubi prodita pudoris  
arx conflagraſſet. Ambulavit illa per omnes  
fraudes ; ſed cœcam ad munera , ſurdam ad  
blanditias & minas invênit. Itaque Prætor  
amorem vertit in odium , martyriq; ubera  
auferri imperat. Tulit facile eam jaſturam  
Virgo , gnara Eccleſiæ ſobolem non tam la-  
cte matrum , quàm ſanguine Martyrum ali:  
ſed nec uberibus diu caruit , medicinam D.  
Petro faciente. Quintianus ex amatore jam  
carnifex ; dum nudam in teſtarum fragmi-  
nibus pruniſque volutari mandat, ecce mo-  
ta inſolitè terra , cùm duos ſupplicii aucto-  
res oppreſſiſſet , populum etiam ita com-  
movit , ut re ad ſeditionem ſpectante ad  
carcerem Virgo reduceretur. Ibi inter vota  
animam in ſinum ac amplexus Sponſi ſui  
F § expir.

expiravit'. Tumulum sepultæ Cærites mar-  
more ornarunt cum hac epigraphe; *Mentem  
sanctam, spontaneum honorē Deo, & patria liberationem.*  
Quintianus dum Panormum fortunas Vir-  
ginis direpturus trajicit, equorum calcibus  
in undas exturbatur, libidinis & avaritiæ si-  
tim positurus. Ajunt corpus ejus nunquam  
reperitum, sepulchro caruisse. Nimirum ut  
Castitas ab Angelis, ita impuritas ne ab ho-  
mine quidem meretur tumulari.

*Ex surio*

## MEDITATIO

### *De vitâ sanctæ Agathæ.*

1. **H**Æc generosissima Virgo mundum planè vi-  
cit, cum flocci fecit vanitatem; noverat  
enim terrena bona; quanta quanta sint, nihil esse ad  
cœlestia. O munde, quam malè audis! te deserunt  
Sancti, tui etiam affectæ conqueruntur, quod bona  
promittas, & largiaris mala. Pro certo habes, &  
longâ quidem doctus es experienciâ, mundam fal-  
laciem & malignum esse; attamen ipsi adhæres, ipsum  
amas, ipsi laboras. Quid faceres, si staret promif-  
sis, & digna laboris præmia rependeret? *amarus  
est mundus; & diligitur, puta si dulcis esset, quid face-  
ret? Aug.*

2. Agatha blanditiis, & minis fortiter resistit.  
Quàm difficilè tamen duobus resistitur, quorum  
alter

alter blandè & cuniculis , alter palam & apertâ vi-  
aggreditur ! Quàm difficile , inquam , cum etiam  
corpus nostrum , allectum blanditiis & deliciis vo-  
luptatum , partes illicò suscipiat . Quid ageres si  
constantia tua deliciarum illecebris, & Tyrannorum  
minis tentaretur ? tu ? qui tuam salutem breviori  
voluptati toties postponis ?

3. Angelis puritate par fuit, imò, juxta sanctum  
Ambrosium , superior ; hominibus quippe fortiter  
pugnandum , ut illibatam servant castitatem , non  
item Angelis , qui ab omni concretione corporis  
sejuncti sunt , Ut puritatis thesaurum servemus , S.  
Agathæ ; & Angelorum exemplo , Deum præsen-  
tem semper cogitemus , semper obsequamur ejus  
voluntati , & spretis , quantum fieri potest , volu-  
ptatibus , cælestes delicias exequamur . *Differunt qui-  
dem homo pudicus & Angelus, sed felicitate, non virtute,  
illius castitas felicitior, hujus fortior esse cognoscitur.* Amb.

## S. DOROTHEA.

6. Februarii.

*Quis ergo nos separabit à Charita-  
te Christi ? tribulatio ? an angu-  
stia ? an nuditas ? an periculum ?  
an persecutio ? an gladius ?*

S. Paulus ad Rom. cap. 8.

DOROT.

**D**OROTHEA Cæsareæ pro Christo captiva, captivos in triumphum Cupidinem & Tyrannidem duxit. Expugnanda enim binis sororibus tradita, quæ datam DEO fidem prodiderant, tam fortiter decertavit, ut ambas ab impiis castris ad antiquam fidei stationem redire compulerit; & hæ quidem proditoris crimen sanguine eluêrant; ipsa verò victorias victoriis perrexit necere, eruentas illas quidem, sed gloriæ plenas, ut quæ sciret nullam tam Sponso Christo placere Virginem, quàm quæ suâ non alienâ ruberet purpurâ. Itaque cum faces lateri admoventur, has illa nuptiales tædas credere; cum ad gladium citaretur, velut ad thalamum properare; inter lictores quasi paranympnos obambulare; ad supplicii deniq; locum ut melioris cæli hortos ridere. Irrisit tam innocentem risum Theophilus quispiam, & è Sponsi viridariis aut rosam sibi vernam, aut Autumni munus, pomum, Virginem poposcit. Promisit utrumque DOROTHEA, fidemque vix ingressa Elysios campos extemplo liberavit. Adest lectissimus cælo Ephebus, & promissum Theophilo, eodem in calatho, Ver & Autumnum offert. Miratur ille in hyeme  
rosas

rosas non flaccidas, miratur poma non mar-  
cida, miratur certantem cum munere suo  
muneris bajulum, & jam non contentus  
vidisse horti munera, ad ipsos hortos Chri-  
stianus per omnia tormenta penetrare con-  
tendit, quæ quidem ille ut spinas generosè  
calcavit, dum animo volveret, quales rosas  
quæreret. *Ex Surio.*

## M E D I T A T I O

*De castitate rosâ adumbratâ.*

**I**ntuere rosas, quas Angelus attulit Dorotheæ,  
& tria in his deprehendes castitatis præsidia. 1.  
Rubeus Rosæ color pudorem exprimit, sine quo  
castitatis citò marcescit decôr. Vis castus esse? Pu-  
dorem habe, ac verecundiam; verecundus oris  
pudor impedit, quò minus hostis ad cor pertingat.  
Fuge loca, ubi audiuntur, ac videntur ea, quæ læ-  
dunt puritatem, atq; vultum pudicum etiam mini-  
mo rubore suffundunt.

2. Rosa cingitur spinis, quibus ipsa nobiles pa-  
riter ac ignobiles, divites ac inopes pungit. Hinc  
discat Virgo singulari modestiâ & quadam severi-  
tate mollioris & solutioris vitæ homines longè à  
se repellere. Nunquam indulgenter patiatur dicen-  
tem, aut facientem, quod castitati vel minimùm  
repugnet. Ad hæc spinis, hoc est mortificatione,  
cor, & corpus suum vallet, nam fieri nequit, ut  
quis in castitate diu perseveret sine mortificatione.

3. Hæc Rosa in cælum spectat, quasi significet omnem suam pulchritudinem, & omnem suum amorem cælo se penitus consecrâsse, à quo nimirum sperat vitalem tum calorem, tum humorem, Quisquis amat castitatem, propriis viribus diffidat necesse est, & precibus assiduis petat hunc cæli florem; Parum enim aut nihil proderunt diligentia, & asperitas vitæ, nisi accedat benignitas Dei. Cùm virgines suam Christo voverunt, virginitatem, solum Deum respicere, solum Deo placere, solum Deum amare debent. *Virgines nulli placere studeant, nisi Domino, à quo pramium expectant virginitatis.* Cyp.

## S. ROMUALDUS.

7 Februarii.

*Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem: nam spiritus promptus est, caro autem infirma.*

S. Marc. cap. 14.

**S** Romualdus Ravennæ ex illustrissima Ducum stirpe progenitus ad lubricam juventutis viam à teneris licet proclivis, mente tamen Deo devotus sese ad majora tentabat erigere. Et dum feras in sylvis persequitur, amorem venatur solitudinis. Antequam verò mundum vinceret, urgente Patre

Patre Sergio cum hostibus præliandum fuit. in quo prælio ob injustam Patri opem latam in necandis hostibus, anima sauciata medellam quæsit in Claustro, in quo vulneris Pharmacum salutare reperit, lachrimas peenitentis. Ita sanatus, carni & mundo indixit certamina, suaq; castra sub Duce Marino locavit in solitudine, in quâ tam solida spiritualia militiæ fundamenta jecit, ut sui exemplo magnum Venetorum Ducem relicto sæculo traxerit sub vexillum. Mox è Tyrone Ductor Camaldulensem ordinem instituit, pluribus insignis victoriis, quas tam de se, quàm inferis reportavit. Et ne mors cruenta pro Christo sibi pugili deesset, iter parabat ad Barbaros, sed instar Jacobi, Cœli scalâ, quâ victor Cælos ascenderet, revocatur, quam brevi multis clarus miraculis Triumphator conscendit Anno 1009.

## MEDITATIO

### *De Oratione.*

I. **S**æpius in die orandum, sed præsertim manè, dum surgimus, & sub noctem, dum lectum petimus. Cùm jugis sit Dei erga nos beneficentia, jugis quoq; debet esse gratiarum actio: si cum hominibus colloquendum est, quàm multum temporis!

ris! si cum Deo, quam parum! Quoties in die Deum oras? Erubescere, & in futurum tibi ipse orandi præfinias tempus, quod semper & ubique expleas.

2. At (inquies) præ negotiorum copiâ orationi vacare minùs possum, tametsi maximè velim; cum S. Gregorio respondeo tibi, quòd quis graviori negotiorum mole opprimitur, eò longiori & ardentiori indiget oratione; ea siquidem, ut rectè & sine peccato perficiat, validiori auxilio opus habet. In omnibus Deum consule: roga eum, ut te adjuvet. Hæc si semper feceris, omnia tibi prosperè cadent.

3. Si tamen aliquando præ negotiorum multitudine preces omiseris, consilii JESU Christi memor: **VIGILATE ET ORATE**, semihoram certè somno destinatum orationi concedas, hoc nullatenus nocet tuæ sanitati, hoc faciunt tot pii viri, & quidem citra valetudinis incommodum. Tu quoque toties vigilas, ut ludo, aut rebus alicujus momenti incumbas. Parum temporis subtrahas occupationibus illis, quæ faciunt, ut duram & molestam vitam vivens, otium non habeas vacandi tuæ salutis. *Abjiciantur omnia quæ presentem hanc vitam faciunt brevem occupationi, longam dolori.* Euch.

---

## S. PAVLVS EPISC.

8. Februarii.

*Quicumq; voluerit inter vos major fieri, sit vester minister. S. Matth. c. 20.*

**S** Paulus non solum nomine, sed vitâ & moribus egregius D. Pauli imitator, in Gallia Belgica ortus est. Iam puer unâ cum litteris ita virtutem imbibit, ut vix mundo notus, ea quæ mundi sunt generosus contempserit, cuius ut omne vitaret commercium, Abrahami exemplo, solius Dei comitatus fiduciâ, exivit è terra & cognatione sua in exteras regiones, ut cum Christo (vulpibus foveas, & volucris nidos suos habentibus) pauperior non haberet ubi caput reclinaret. Elongavit se cum Davide fugiens & mansit in solitudine Vogasi. Sed virtutis fama latere non potuit, nec tam ardens sanctitatis lucerna longius abscondi. Quare à Dagoberto Galliarum Rege è Monasterio vi & invitus, eximius honorû contemptor, extractus, Verdunensis Ecclesiæ creatur Episcopus, cui ita præfuit, ut eam non tantum virtutum suarum Thesaurò, sed copiosis redditibus locupletârit. Ne verò sibi decissent divitiæ, plenus dierum & meritum ad æternas, quas nulla consumit tinea, evocatur, dignum tot virtutum & laborum præmium accepturus.

*De triplici causâ Humilitatis.*

1. **V**Era Humilitas nititur in cognitione sui ipsius : priusquam te Deus creâset , quid ? ubi eras ? in nihilo planè , ex quo nimia suâ charitate te eduxit. Gloriaris tamen , teque divinæ gloriæ idoneum , hominum saluti necessarium , comparandis privatis rebus non inutilem arbitraris. Antequam nascereris , Deus & homines tuâ operâ faciliè caruerunt , certè te mortuo non difficiliùs.

2. In præsentia , quid es ? si corpus inspicias , corruptionem ; si animam , ignorantiam , ac peccatum deprehendis : haud ablimilis est vita tua facis illius , quam Divus Paulus manu tenet , aquæ guttulâ , vel minimo flatu potest restingui . Cura valetudinem , quantum volueris , tandem aliquando morieris , & evanescent amplâ tua consilia . O homo ! si tuæ naturæ humilitatem cognosceres , cognosceres utique Dei sublimitatem , teq; coram Deo despiceres. *Vt cognoscere Deum possis , te ante cognosce.* Cyprian.

3. Quid eris totâ æternitate ? An orci victima ? an hæres Paradisi ? magnum ænigma. Potes gloriari , hoc si mediteris ? nescio , quò post mortem sim iturus : corpus quidem in sepulchrum efferetur , sed quò anima ? Itaque coram Deo & hominibus esto tui contemptor. Qui nequam , & nullo numero habetur in terrâ , is in cælo forsan altiore locum obtinebit, *Domine Iesu noverim me , noverim*

16. Aug.

S. APOL.

# S. APOLLONIA.

9. Februarii.

*Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

S. Paul. 1. ad Cor. 13.

**N**Ecdum, in flammis eruperat furor Decianus, cum anno ab incunabulis Servatoris L. supra CC. Decio prælusit Alexandriae, nescio, cujus hominis insania. Arrogavit iste sibi Vatis nomen, & factis ad populum criminibus id repente excitavit incendium, quod non nisi multo Christianorum sanguine extingueretur; quos inter facile princeps fuit APOLLONIA Virgo, quæ invalescente vulgi furore, cum jam totâ Vrbe eadem omnium vox audiretur, flammis addicendum, quisquis Christo non maledixisset, in Virtutis scenam protracta est. Et sanè præclare personam sustinuit Christianâ, quippe cui ore citius omnes, quibus ætas provecta in eum diem pepercerat, dentes, quàm Christus, evulsi. Quid agitis manus carnificû? fortem esse APOLLONIAM, excussi

G 2

dentes

dentos & fractæ malæ loquuntur; ad ma-  
 jora tormenta provocare, nihil humile tam  
 alta spondent principia. Ecce rogas ingens  
 succenditur, crepant flammæ, furit popu-  
 lus, minantur lictores; aut Christum abjice,  
 aut in ignem abjiciere APOLLONIA; quid  
 hic illa? paululum apud animum suum,  
 quasi consultans subsistit; mox, bulliente  
 jam sanctiore sub præcordiis igne, non  
 morata tortores, generoso ausu ipsa involat  
 in flammis, è flammis ad cælum evolat.  
 I nunc Scævola fortissime Romuli Nepo-  
 tum: Manus tuæ miraculum Rogus  
 hujus Virginis extinxit.

*Ex Surio.*

## M E D I T A T I O

### *De morbis.*

1. Si labores aliquo morbo, memineris Deum  
 Smorbum hunc, quicumque tandem sit, per-  
 mittere, ut probet & exerceat patientiam tuam;  
 quare patiens esto, & necessitatem verte in volun-  
 tatem; murmuraciones quippe, verba, motusque  
 impatientis animi morbum tantummodo augent,  
 ac te tuis, tibi que efficiunt gravem. Quomodo  
 morbos ferre consuevisti?
2. Quos Christus infligit dolores, hos feras  
 æquo & grato animo; his potissimum donis ac  
 muneribus

muneribus cumulare solet amicos suos. Offer ipsi quidquid pateris. Dic: Domine, adauge dolorem, sed simul patientiam. Quæ Christus, quæ sancti passi fuerint, attende, inspicere crucem JESU Christi, profectò tua levior videbitur, imò dices, dolores tuos nullos esse, si cum doloribus Jesu componantur. *Quid hæc ad Dominum meum?*

3. Considera damnatorum supplicia, quæ tuis criminibus promeruisti: hæc consideratio non nihil suavitatis tuo dolori asperget, teq; à peccando prorsus deterrebit. Heu! piissime Deus, longè atrociora in inferno ferrem, si statim in peccato mors me opprimens, non reliquisset poenitentiae locum. Si pati non possim breviorum, ac tot solatiis mitigatum dolorem, quæ fieri poterit, ut æternos ignes sustineam? Deinceps, Domine, morbos meos patienter feram, quandoquidem horum morborum brevi tolerantia æternos ignes redimere possum. *Hæc omnia, quæ illic finire non poterunt, hæc redimi possunt.* Eucher.

## S. VVILHELMUS, CONFESS.

10. Februarii.

*Sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditia, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc*

G 3.

*exhi-*

*exhibete membra vestra servire  
justitia in sanctificationem.* Rom. 6.

**I**ngentia scelera Wilhelmus pari poeni-  
tentiâ plectere instituit. Conjugio frater-  
næ conjugis, Herodi non impar, cœnabat  
unus, quod octonis in cibum sufficiebat.  
Ad duella non invitabat, sed cogebat obvi-  
os, neque jam ducem se Aquitaniæ puta-  
bat, nisi factionis quoque, quæ contra In-  
nocent. Pont. pugnabat, Dux esset. Mellea  
verba Bernardus ingesserat: fel merum re-  
tulit: minas addiderat; majores audivit.  
Ergò secundùm divina, Numine manum  
armatus, ad præstolantem pro templi fori-  
bus progreditur, & voce plus quàm huma-  
nâ, *hoc*, ait, *etiam temnes improbe?* Non erat hoc  
loqui, sed fulminare; Corruit humi ferox,  
& qui nulli antehac victas manus dederat,  
Bernardo dedit, jamque dum omnis casum  
populus miratur; unus Wilhelmus negat  
se cecidisse, sed stare denique se credit. Mox  
Anachoretæ consilio, nudum corpus & ca-  
put loricâ & galeâ abscondit, longè maxi-  
mum hostem, se, expugnaturus. Talis ad  
Innoc. Pont. inde Ierosolymam tendit, ibi  
antrum lachrimis implet & gemitibus, qui  
cœlo

caelo repulsi, audirentur: Sub hæc patriam  
 repetens, dum ex itinere castro expugnando  
 operam vult locare, à viâ salutis penè ex-  
 errat cœcus. Tamen eâdem nocte in viam  
 redit, recipitque, quos iterum lachrimis  
 det, oculos. Mox solitudines montesque  
 mutat, & à cacodæmone, qui patrem men-  
 titus, frustra ad vitam veterem revocabat,  
 verberibus immanibus cæditur. Medicinam  
 tamen fecit Virgo Magna, ut tanti jam vul-  
 nera faceret WILHELMVS. Ultimò in sta-  
 bulo Rhodis obiit, feliciùs utiq; quàm in  
 palatiis vixerat. *Ex Surio.*

## M E D I T A T I O

### *De Conversione S. Wilhelmi.*

I. **A**Ntequam Wilhelmus morum mutationem  
 fecisset, impudiciâ, impietate, crudelita-  
 te, omnium denique vitiorum genere delectabatur:  
 Num & tu conscius es alicujus ex his criminibus?  
 si conscius, ne desperes, Deus, qui tanto peccato-  
 ri pepercit, utique tibi condonabit, si ritè confes-  
 sus fueris peccata; si verò, divinæ gratiæ beneficio,  
 in ejusmodi barathra non cecidisti, noli gloriari,  
 siquidem: *Nullum est peccatum, quod fecerit homo;  
 quod non possit facere alter homo, si desit creator, à quo  
 factus est homo. August.*

2. Demum aliquando è vitiorum cœno emerfit, auditis verbis S. Bernardi, qui JESUM Christum manu tenens, sic eum allocutus: *Hominibus obedire noluiſti, Ecce Dominum & judicem tuum!* His dictis corruit Dux planè immutatus. Quantum valent convertendis peccatoribus Verbum Dei, & Corpus JESU Christi! toties tu Verbum illud audis, toties corpore Christi pascaris, & tamen etiamnum in vitis jaces. Ubi fides tua?

3. Quemadmodum criminibus suis cuique fuerat offensionis, sic duriori vivendi ratione cuique fuit exemplo. Ubi vitam dissolutiorem egerat, ibi acriorem auspiciatur pœnitentiam: nec huic pœnitentia modum imposuit, quin summo Pontifici ab se offenso fecisset satis; Num aliquem verbis, aut factis offendisti? necesse est ut à satisfactione, & tuæ vitæ probatione pœnitentiam ordiaris.

---

**S. VICTORIA,  
VIRGO ET MARTYR.**

11. Februarii.

*Vos estis Corpus Christi, & membra de membro. S. Paul. 1. ad Cor. 12.*

**G**eminum VICTORIA triumphum duxit; de amore unum, de Tyranno alterum; uter pulchrior fuerit, tute Arbiters esto.

Anno igitur salutis trecentesimo ter-  
 tio, quod Christiani & coetus pietatis causâ  
 agerent, & sacros codices profano Iudici  
 tradere recusarent; Diocletianus, & Maxi-  
 mianus Imperatores omnibus tormentis in  
 hos pugnârunt. Sed quidni vincerent Chri-  
 stiani, quando felicissimo omine ex horum  
 parte **VICTORIA** stetit, Virgo in ipsis cu-  
 nis magna, magnisq; signis jam tunc futu-  
 ræ sanctitati præludens? illud unum quan-  
 tum facinus fuit, cum, obstrepente auri-  
 bus castissimis hymenæo, Sponso mortali  
 in amplexus ruente, ut hos eluderet, quan-  
 do alas non habuit, animos sumpsit, & à  
 summo tecto præceps abiit, innoxia tem-  
 plum petiit, verbisque conceptis Sponsam  
**DEO** se devovit, frustra homine interea  
 nuces spargente, quas illa cum rebus aliis  
 humanis dudum reliquerat. Igitur meritò  
 de **VICTORIA** Iudex desperavit, & ne à  
 fæmina triumpharetur, incolumem cum  
 fratre domum ire à tribunali iussit. Sed ne-  
 gavit illa pedem è pugna referre, negavit  
 fratrem se agnoscere, qui non eundem pa-  
 trem (Deorum cultui addictissimus erat)  
 Christum clamaret. Itaque latâ mortis sen-  
 tentia Virgini palmam invitus Iudex cessit.

Interea nunquam sapius Superi VICTO  
RIAM clamarunt. *Ex Surio.*

MEDITATIO

*De vitâ activâ, & contemplativâ.*

1. **O**Mnes fideles sunt unius corporis membra, cujus caput est Christus. Alii agant necesse est, dum caelestia speculantur alii. Quàm suave est, cum rebus creatis nullū prorsus habere commercium, & solo DEO familiariter uti, quod in caelis sancti, id nos mortales in terris agimus, unum amabilissimum Creatorem anima nostra tunc amare studet, nec eam res creatæ blanditiis suis inescant.

2. Per charitatem, obedientiam, ac statûs tuam conditionem cum Magdalenâ meditari semper non licet; expedit, ut cum Marthâ agas interdum, quòne dæmonis laqueis faciliùs irretiâre. Cave tibi, ne imiteris impios, quibuscum agis; imò, si potes, aut ad meliorem vitam reducas eos, aut exemplo Victoriæ, etiam fratres ut hostes fuge, & ad JESUM confuge.

3. Speculationi, & actioni sic te dedas, ut neutra noceat alteri; legibus charitatis & urbanitatis pareas, hoc enim vult Deus: sed heu præposteram Christianorum vivendi rationem! per diem integrum mundanis incumbunt rebus, nec vel momento quidem Deo, & salutî vacant. Nosmetipsos deserentes in illud studium omne consumimus, quæ migrantes habere non possumus.

S. JULI-

## S. JULIANUS CONF:

12. Februarii.

*Tuorum tibi conscius peccatorum,  
quomodo potes de alterius judicare peccato. Ambros. in psal. 118.*

**Q**uoties dum hostem petit, se sauciat,  
& suos ira! Domo aberat IULIANVS  
familiam Conjuge curante. Interea paren-  
tes adfunt, & quem puerum amiserant, fi-  
lium quærunt. Heu! quàm præstabat nun-  
quam invenire. At Conjux gratulata sibi,  
quod benefacere etiam absenti IULIANO  
in parentibus posset, humanissimis ver-  
bis hospites salutat, epulo lautissimo exci-  
pit, ab epulo in suo thalamo molliter locat,  
nescios funebrem se lectum conscendere.  
Et fortè jam filium somniabant, cùm ecce  
adest hïc, & ubi primùm à geminis premi  
lectum videt, sive nox, sive thori violati  
suspicio oculos fascinaverat, præcipiti vin-  
dictâ utrumq; ferro trajicit, lectumq; dum  
ab adulterio purgare parat, ah! parricidio  
maculat. Mox uxor superveniens, & dies  
facinus monstrant. Hïc demum IULIA-  
NVS non longiùs fugisse se parentes, inge-  
miscere,

[100] 110 [100]  
miscere, accusare parricidas manus, ultro  
omnes culeos advocare, denique cogitare,  
qui nefas tantum serio in se castigaret. Lon-  
gum supplicium placuit, Xenodochiū propè  
fluminis ripas construxit, rectius in hoc  
hospites pauperes accepturus. Et fuit cum  
leprosi formam Christus induit. Hunc cum  
IVLIANVS transportatum foco fovisset ri-  
gentem, mensa elurientem, & suo lectulo  
dormiturentem; ecce parricidii veniam  
manifestus vel dedit, vel olim datam nun-  
tiavit. Perrexit tamen ille operam suam eo  
studiosius probare, quò hospitibus nobili-  
oribus jam frequentari videbat ædes.

*Ex Pet' de Natal.*

### MEDITATIO

#### *De temerario Judicio.*

1. **N**olite judicare, & non judicabimini; Mat. 7.  
Deus non creavit te judicem alterius, sed  
socium. *Pater omne judicium dedit filio.* Tu si alte-  
rum judices, jurisdictionem filii Dei tibi arrogas.  
Melius facies, si te ipsum per examem conscientie  
judices, ut non judicaris.

2. *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.*  
Justo scilicet Dei judicio fit, ut temerè judicantes,  
& aliis vicissim temerè judicentur; imò ut in dese-  
ctus incidant, quos aliis impingunt,

3. Hypocrita ! eijce primum trabem de oculo tuo , & tunc perspicias , ut educas festucam de oculo fratris tui. Luc. 6. En remedium extirpandi iudicium temerarium , tuos ipse defectus inspice , & alios non iudicabis. Denique si dubitas de facto fratris tui , cur in pejus interpretaris ? si aperte malum est , excusa intentionem , si opus non potes . Puta ignorantiam , puta subreptionem , puta casum ,

---

## S. MARTINIANVS CONFESS:

13. Februarii.

*Periculis in civitate , periculis in  
solitudiue , periculis in mari.*

S. Paul. 2. ad Cor. II.

**V**itam solam MARTINIANUS agere coepit octo & decem annorum adolescens. Dæmon malus eijcturus statione suâ militem , veteris serpentis exuvias induit. Sed nihil nisi risum retulit , quo meritò humili eum repere post casum tam altum dixit. Quid ageret victus serpens ? ut virum decipiat , iterum mulierem subornat. adest hæc panniculis involuta , & velut à viâ errâisset , magnis ejulatibus , ne in pabulum  
ferig

feris cedat, id noctis hospitium orat: aperit MARTINIANUS à feris foeminam defensurus, se Lupæ objecturus; penitioribus tamen adytis clausus pernoctat. Sed manet mulierem ecce tibi mundo omni ad miraculum superbam. Videt hanc, & Basiliscum videt: audit, & Sirenem audit, & Dæmonis Victorem penè mulier vincit. Experrectus tamen veluti à somno ignes fecit ingentes, pedibusque insultans, age dixit, lubeat peccare, si vel has flammæ lubet ferre. Extinxit hic rogi Veneris ardorem, tum præcipuè cum lachrimas meretricula etiam, damnatâ jam Venere, affudit. Cæterum MARTINIANUS in rupem è medio mari eminentem secessit. Hic quoque dum Charibdim fugit, in Scyllam minimo minus incidit, & Venerem planè regnare in mari discit. Ecce enim naufraga puella, & ad perniciem oculorum pulchra, in rupem enata. Hic verò MARTINIANUS ignes præventurus in mare se abjicit. Quid expectas, Lector? Delphines tergo excipiunt, & littori saluum reddunt. Vides, puto, nuac, quid in homine hi ament.

*Ex Metaphr.*

MEDIT.

## MEDITATIO

*De tentationibus.*

1. **N**ullus locus, ætas nulla, nulla vitæ conditio à tentationibus vacat, caro spiritui semper adversatur. O te miserum! quod tot tentationibus obnoxius sis, cum timore & diligentia attende tibi, fuge periculosas occasiones, si possis; sin minus, prævide, ne pecces, cum in iis eris.

2. Ambula coram Deo, & nullis unquam vincēris tentationibus. Non cecidit Martinianus, quod Deum præsentem cogitaverit. Videt me Deus, à quo pœnas, si vincar, mercedem, si vincam, expectare debeo: videt me Christus, qui pro me sanguinem fudit: ego verò nollem minimam voluptate abstinere ejus causâ? Hæc si reputaveris, tentationes quasque superabis.

3. Exemplo S. Pauli, & S. Martiniani, castiga corpus tuum, & in servitutem redige, citò citius fugiet tentatio. Dic cum S. Martiniano: vis hoc peccatum admittere, quo dubio procul damnaberis, ægedum experire, utrum pati possis æternos ignes, verbera, famem. Oportet, ut cogitatione dolorum inferni, mundi voluptates amarescant. *Quidquid ex presenti seculo aridet, ex consideratione æterni ignis amarescet.* Greg.

\*0] 114. [0x  
S. ALEXENTIUS  
ABBAS.

14. Februarii.

*Ego sum lux mundi. Qui sequitur  
me, non ambulat in tenebris,  
sed habebit lumen vitae.*

Christus. S. Ioan. cap. 8.

**A**LEXENTIUS cum eodem in contu-  
bernio non convenire Marti, & vitae  
Innocentiae perspiceret, ut DEO vacaret,  
vacationem à militia sibi impetravit. Neque  
arma tantum posuit, sed ut miserum con-  
tra frigus amaret, tunicam ex mendicabili  
humeris suspendit. Alias, quò pauperibus  
stipendia numeraret, operam suam inter  
opifices locavit. Oream deinde montem  
conscendit, atque iterum, sed melior miles  
sub pellibus vixit, omni alià veste abjectâ.  
His horridum pueri Pastores, cum gregem  
amissum quærent, feram putârunt. Sed  
ille, quâ erat in Juventutem humanitate,  
facile se hominem probavit, imò homine  
majorem ostendit, cum vates pueris absens  
dixit, quò greges aberrâssent. Inter hæc ce-  
lebrari

lebrari ab Accolis concurrentibus coepit, cum passim ægri venirent, sani redirent. Ipse Imperator Marcianus familiariter usus viro fuit & ad Chalcedonense concilium evocavit. Ibi dum patres præstolatur, & velut Impostor habetur, à columba cibum accipit. Verbis deinde ac Miraculis Christi divinitatem, & Virginitatem Christi Marris propugnat. Obiit denique longâ patientiâ clarus, & vermes cum è putrido vulnere exciderent, loco suo reponere solitus. Nos delicati vermiû nomen horremus, sed mortui baculo scilicet ( ut ille canes ) abigemus.

*Ex Mesaphr.*

## MEDITATIO

### *De Gratia.*

I. **G**ratia cum lumine in eo convenit, quod nemini negetur, & unusquisque satis habeat, si uti velit. Quanta Deo debemus, nos præsertim Christiani, quos tot gratiis cumulavit? Quot accepisti? num in te vacuæ fuerunt? utere concessis gratiis, operare dum per lucem licet, memorem te Deo præbe, ne ingrati animi vitio gratiarum fons exsicceetur.

2. His certè gratiis, quas divus Aug. vocat *Co-ruscationes luminis æterni*, sæpius illustratur intellectus tuus. Quoties enim clarè perspexisti vanita-

H

tem

tem mundi, & cælestium bonorum veritatem? Sæpius meditare præcipuas Christianæ fidei veritates, & da operam, ut meditationibus tuis acceptum lumen magis ac magis accendatur.

3. Hoc lumen foret inutile, si, cum intellectum illuminavit, voluntatem ad difficilia quæque non accenderet. Gratiæ siquidem est, grandia suadere, inflammare pectus, virtutem faciliorem efficere. Num verum est, te quandoque ad Deum tam suaviter impelli, ut sacrificium tui ipsius facillimum tibi videatur? Utere diligenter pretioso gratiæ momento: *Semen modicum est, sed magnus inde fructus: in hoc momentaneo latet æternitas.* Bernard.

## SS. FAUSTINUS, & JOVITA MM.

15 Februarii.

*Charitate fraternitatis invicem diligentes.* S. Paul. ad Rom. 12.

**S**Vb annum Christianum 132. cum Brixien-  
sis Pontifex Apollonius metu tyrannidis fugâ subduxisset se se, ne barbaro furori lacerandus Christi grex pateret, meliores in locum Pastores **FAVSTINVS** Sacerdos, & **IOVITA** Diaconus successere. Certè animas suas non multò post impendere gregi suo

suo non dubitârunt, cùm memorabiles pri-  
 us pugnas edidissent, quibus non modò Ita-  
 licum Comitem, sed Adrianum ipsum Imp.  
 quin imò ipsos Deos triumphârunt, Solis  
 enim Colossum adorare jussi, hunc primò  
 in Carbones, deinde in favillas redegerunt,  
 filio suo Phaëtonti posthac similem. jam  
 Leones, Leopardi, Vrsique virtutem in Pa-  
 storibus nostris horruerunt, & cùm prius  
 Carnifices, interque hos Sacrificulum Sa-  
 turni, Comitemq; Italicum lacerassent, im-  
 perio Martyrum in sylvas, & nemora sua  
 emigrarunt. Post tot Victorias etiam inter  
 flammam cantare Pæana placuit. Denique  
 ubi per omnem Italiam circumducti omnia  
 theatra sanguine suo pinxerunt, Patria rur-  
 sus excepit, & gladio cæcos coronavit. Fama  
 obtinuit, Angelos Cælo ad vinctos devo-  
 lasse in carcerem, & sacram Eucharistiam  
 præbentibus ministros adstitisse. Videtis Ma-  
 riani, in quorum officiũ involetis, cùm ad  
 aram servitis? Profectò aut muneris hujus  
 vos non pudebit, aut Angelis  
 similes esse pigebit.

*Ex Surio.*

H 2

MED.

*De Charitate in proximum.*

1. **H**Aud aliter, quàm te ipsum, proximum tuum amare debes; ad imaginem quippe & similitudinem Dei creatus est, & JESUS illius causa mortuus, ejusmodi requirit charitatem. Quantà pietate proximum tuum, quantà miseratione inopes & miseros prosequeris? Ah! tantum abest, ut proximum tuum juves, ut potius adversus eum invidiâ, irâ, odio, vehementiùs exardescas. Quâ ratione exceperis alios, eâdem planè excipiet te Deus,

2. Omnes homines diligito, nam Christus pro omnibus sanguinem fudit, ac omnes sunt tui fratres in Christo. At sunt infideles, hæretici, peccatores? Sint. An tibi revelatum est, eos ex infidelitatis, & vitiorum cœno, aliquando non emeruros? Forsan in cælo altiorem obtinebunt locum, quàm tu: *Deum imitare, qui amavit nos fædos, ut ex fædis, faceret pulchros.* Aug.

3. Scirène cupis, an puro, sincero, & secundum Deum amore diligas proximum? Vide, utrum: quod tibi factum velles, illi utique præstiteris. Si paupertate, aut morbo laborares, nunquid velles, ut quis tibi adesset? An velles, ut duriùs tecum ageretur, diriperentur bona, tibi obrectaretur, & eâdem demum ratione, quâ alios habes, alii te haberent? Si ad hanc regulam actiones tuas exquisiras, vitam tuam in multis non rectam deprehendes, *Quâ mensurâ mensi fueritis, remesietur vobis.*

S. JULI-

## S. JULIANA V. &amp; M.

16. Februarii.

*Calum & terra transibunt, verba  
autem mea non transibunt. Luc. 21.*

**P**ulcherrimâ formâ IULIANA pulcherrimè  
est uita. In hac enim velut speculo opi-  
ficem hujus DEVM cæpit intueri. Christo  
igitur addictam Parentes Eleusio desponde-  
runt, Viro nobili & urbi Nicomedix præ-  
fecto. Sed quia superstitioni hic deditus  
erat, negavit IULIANA sibi fœdera nuptialia  
cum illo fore, qui animum hostilem in tho-  
rum ferret. Et hoc proposito ut dimoveret  
Parens, arietes admovit, minas; repulit  
virtus: Egit cuniculos, blanditias; clusit:  
inclusit carceri; thoro illa hunc prætulit.  
Tandem Eleusius ille nuper Sponsus, fit  
Sponsæ judex, mox in carnificem abit. Cæ-  
dit verberibus, quod nuper laudabat cor-  
pus; suspendit, quibus nuper captum se fa-  
tebatur capillis; urit ferro ardores suos, ar-  
tus castissimos. Et has demum illa blandi-  
tias in Sponso laudavit. Interea boni Ange-  
li vultum indutus malus, satis ait virtuti  
datum esse: Dissimularet post hac pietatem,

H 3

superis

superis cordi cor fore, quod pervium uti  
illis esset. At JULIANA, fraude inter prece  
cognita, vincula sua exiit, & consiliario  
pessimo induit. Vincito verbera etiam ad  
dit. Tunc sub Virginis manu gemuit orcus  
& malum Angelum bonus risit. Porro Mar  
tyr flammis ad quas damnata erat, lachri  
mis extinxit, lebetem ab igne ferventem  
precibus rupit, deniq; prius quam manum  
judici proco daret, caput dedit. Mox ta  
men etiam poenas hic: Undis enim haustus  
& in littus eiectus in cibum canibus cessit,  
dignum nactus tyranno sepulchrum.

*Ex Metaphr.*

MEDITATIO

*Mundus magnus est liber.*

1. **E**X magno mundi libro S. Antonius amorem,  
& S. Juliana Dei cognitionem hauserunt.  
Sunt in hoc libro res creatæ, quæ bonitate suâ  
Creatoris adumbrant bonitatem. Sol & Luna lu  
cem: fructus, & flores terra suppeditat, non ad  
necessitatem solum, sed etiam ad delicias. Consi  
dera hæc omnia, & gratias age Creatori, qui talia  
amoris sui pignora tibi dedit. Ama Deum, qui tot  
bona tibi creavit. Ah! si tot ac tam pulchræ res  
creatæ sint in terrâ, quid erit in cælo? Si hæc in  
exilio, quid erit, in patria? Aug.

2. Sunt aliæ res creatæ in hoc mundo; nobis ut noceant, quodammodo factæ. Hæc Deo gratias, si quando tentabunt patientiam tuam; earum siquidem beneficio recordaris in exilio, non in Patriâ, te versari. Patere æquo animo, & tacitus tecum reputa, si tam molesta in terris, quid in inferno?

3. Considera, mundana quæque fluxa esse, Cælestia verò æterna. Moriuntur homines: Tempus tempori, Rex Regi succedit, præterit figura hujus mundi, extinguitur vita, evanescunt delicia. Pulcherrima, & perfectissima hujus mundi imperfectam effingunt divinæ pulchritudinis imaginem. *Tanquam fluxa pulchritudo, de stabili, & æternâ Dei pulchritudine.* Tertull.

## S. SABINUS.

17. Februarii.

*Quid enim proficit homini, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, & detrimentum sui faciat.* Christus, Luc. 9.

**Q**uis fidem habeat? plura Pont. Sabinus vidit, cum oculos senex amisit, quàm prius cum utrumque circumtulit? certè, quæ nulli oculo pervia sunt, arcana animorum & longè absentia perspexisse memo-

H 4

morant.

morant. Et ecce adest hoc ipsum felicitat  
 experturus Totila. Invitatus ad coenam fru-  
 galem assidet, principem tamen locū Epif-  
 copo Rex cedit. Paulò post miscet puer vi-  
 num, & SABINO porrigit. Hic Totila pre-  
 hensum clàm manu poculum regiâ manu  
 ministrat, nec tamen fallit oculatissimum  
 cœcum. Capit hic & totam fraudem bene-  
 ficio ingenti pensaturus, inter risum, videat,  
 ait, hæc manus. Præmium igitur nobilis  
 pocillator tulit, sed malum alter maximum,  
 qui auctor esse puero non dubitavit, ut me-  
 rum veneno temperaret. Erat hic SABINO  
 in Sacris Diaconus, & longævo seni infulam  
 invidebat, suam ( ut ipse quidem putabat )  
 hæreditatem, sed contrà factum. Hoc enim  
 etiam pervidens SABINUS, egregium Gany-  
 medem prælibare jubet; deprehensus ille,  
 & mortem longam, quam meruisse se vide-  
 rat, altera morte, sed brevi præoccupatu-  
 rus, impigrè ori poculum admovent; sed ra-  
 pit è manu Episcopus, & i potius inquit,  
 & Diacono nuntia, venenū me bibere, cz-  
 terùm Episcopum illum minimè futurum.  
 Simul cruce ducta poculum siccat. Non  
 SABINUM, sed Diaconum bibisse dixisses,  
 valuit enim hic, ille occidit. Sanitatem  
 vulgò

vulgò alienam se bibere ajunt: id verū an sit,  
nescio. Alienam certè SABINUS mortē bibit.

Ex Dial. S. Greg. l. 3. c. 5.

M E D I T A T I O

*De salute anima nostra.*

1. **A** Deo potens fuit hæc Christi JESU sententia, *quid enim proficit &c.* ut omnes [ inquit S. Xaverius ] ad meliorem frugem adduceret, si attentiori animo perpenderetur. Saluti consulendum; en! *unum necessarium*; huic creatus es, non dignitatibus, non scientiis, non voluptatibus. Id tamen non attendis, deque eongregandis terrenis bonis diu noctuque cogitas?

2. Saluti incumbendum, nec levi nec sterili conatu. Quid agis miser? in comparandis divitiis, scientiis, honoribus, profundis sanitatem; sanctitatem parum attendis. Quid, amabo te, mortis articulo proderunt divitiæ? Quid honores? Quid scientiæ? planè nihil, si animæ detrimentū feceris. *Vbi salutis damnum, illic utiq; jam lucrum nullum est.* Cyp.

3. Sine morâ saluti adlaborandum, quia nimium anceps & dubia est salus procrastinantis. Vide, quantum temporis tua requirant negotia, & cave, ne totum absumat mundus. Supremo judicio de divitiis, & honoribus mirum erit silentium. Nunc tandem definias tempus, quod daturus es Deo. In deliciis malè positum, lachrimis deleas, ut paratus sis ad reddendam rationem. *Demus Deo aliquod tempus vita nostra, ne diem totū ista vanitas, & sollicitudo miseranda consumat.* Chrysol, H 5 S, SIM-

124. [050]  
S. SIMEON MART

18. Februarii.

*Qui autem sunt Christi, carnem  
suam crucifixerunt cum vitiis,  
& concupiscentiis. S. Paul. Gal. 2.*

**D**Ivo Iacobo Apostolo Hierosolymis in  
Episcopatu successit S. SIMEON, Chri-  
sti cognatus in carne. Et quia non minus  
propinquus in Spiritu, & virtute fuerat,  
omnium consensu Hierosolymitanæ Eccle-  
siæ præficitur. Tota vita & omnibus acti-  
onibus suis Christi imitator, ne vita & mo-  
ribus degener, familiaritatem, quam caro  
dederat, violaret. Fidelis Pastor Ecclesiæ,  
non Mercenarius animam posuit pro ovi-  
bus, & ut verus Christi videretur consan-  
guineus, amorem sanguine confirmavit.  
Christo in morte simillimus, testamentum  
crucis Sigillo Genuino ( Christiani stem-  
matis insigni ) voluit subsignare, in quo  
animam Salvatori suo legavit immaculatam,  
post annorum 120. laborem sub Tra-  
jano crucis affectus supplicio.

Anno 109.

MEDIT.

*De triplici Crucis genere.*

1. **E**X imprudentia, vel ex peccatis tuis pleræq;  
nascuntur afflictiones & cruces tuæ. Quid  
ergò pateris eas animo parùm æquo, cùm earum  
sis causa? Descende in te ipsum, cùm affligeris:  
percontare ex anima tua causam afflictionis tuæ, &  
dubio procul respondebit tibi: superbix, avaritiæ,  
intemperantiæ, aliisque id genus vitiis afflictionem  
tuam adscribendam esse; quoniam ibi desinit ma-  
lum, ubi desinit peccatum. Memineris, in omni-  
bus afflictionibus tuis animam sic interrogare:  
*Numquid non ita tibi factum est, quia dereliquisti Do-  
minum Deum tuum?* Hierem.

2. Immeritas interdum cruces & afflictiones pa-  
teris, atque Sanctum Job sanctitate & miseria o-  
mninò exprimis: Calumniæ inimicorum, amico-  
rum perfidia, inopia, dedecus, morbi ex oculis  
tuis lachrimas eliciunt, efficiuntque, ut vitam mise-  
ram trahas. Ne cadas animo, imò gratias Deo age,  
quòd in partem venias fellis, spinarum, & Crucis  
JESU. Quid quereris, si tecum agat Jesus, ut cum  
amicissimis suis, & eâ te prorsus ratione excipiat,  
quâ suus eum Pater? Cum Jesu ut Jesus, pro JE-  
su patere, & Regnum Jesu consequeris.

3. Sancti non expectant, sed expetunt, & qua-  
runt cruces, ad easq; eadem prorsus aviditate ferun-  
tur, quâ avarus ad divitias; tu verò eas fugis. Fal-  
leris, si credas, posse te sine Cruce Paradisum in-  
gredi: nam *Cruz Christi clavus est Paradisi.* Chrysoft.

## S. AUXIBIUS EPISC.

19 Februarii.

*Non enim erubescō Evangelium, virtus enim Dei est in salutem omni credenti. S. Paul. ad Rom. c. 1.*

**A**Vxibio patria Roma fuit, natales, & census patricii; indoles à primis annis in Christianam religionem prona. Tam nobilem civem in exilium, qui minimè debebant, Parentes egerunt. Cùm enim nuptias, ad quas hi pro imperio cogere velle videbantur, non posset aliter quàm fugâ declinare, in Cyprum abiit felicissimus exul. Nam fausto pede cùm in Marcum, Barnabamq; offendisset, ab illo fonte sancto tinctus, & Christianis junctus est. Mox Doctor pietatis ex discipulo factus, cùm primitias Deo sacrificulum Jovis peperisset, à Paulo magno Episcopus Soluntis est creatus. Mira dictu res, unicus Christi miles Auxibius totam sub jugum Evangelii urbem misit, & ne Auxibio careret, alterum Auxibium accivit, & Successorem in mōnere legit, consilium Deo probante. Nam fuit, cùm sub arbore somnum cœpit hic Auxibius, & no-

ster

ster superveniens spectavit ingens formicarum agmen à latebris suis ad dormientē iter instituere, vatesque futuræ dignitatis caput ejus in coronæ formam ambire. Itaq; Auxibio Insulam reliquit Auxibius moriens. Tumulum ejus Atylon ajunt fuisse morbidorum. Quin cum ad hunc è Papho accurrerent XL. ab orco infessi, obvius ipse Auxibius his prodiit, & cedere sibi, ut æquum erat, è viâ dæmones fecit.

*Ex Surio*

## MEDITATIO

### *In Evangelium.*

1. **H**OMO Christianus ea debet credere omnia, quæ sunt in Evangelio, debetque audire singula ejus verba, ut verba JESU CHRISTI. An verè, an firmiter credis omnes veritates Evangelii? An credis JESUM tuâ causâ mortuum esse, Infernum peccatores manere, & justos Paradisum? Ah! si verè crederes, sanè laborares diligentius, ut vitares infernum, & ad cælum pervenires.

2. Parum est, omnia credere, quæ docet Evangelium, bona opera accedant fidei tuæ necesse est; oportet, ut probes actionibus tuis, non habere te fidem mortuam, & vanam, sed vivam ac veram. Credis tu quidem, beatos esse, qui lugent, qui pauperes sunt, quia hoc legitur in Evangelio, ni-  
hilo

hilo tamen minùs paupertatem, & luctum detestaris. *Cruz placet in aris, displicet in corde. Quousque facta tua fidei repugnabunt tuæ? Habe præ manibus Evangelium, præcipua ejus placita perpende, in eoque Evangelio, ut in speculo, miserum statum animæ tuæ perspicias, atque dices cum S. Hieron. esse Christianum, grande est: non videri.*

3. Ne pudeat te Evangelii partes suscipere adversus infideles, Hæreticos, impios, & solutioris vitæ Christianos. Evangelii causâ totum sanguinem tuum, si expediret, profundere deberes: Attamen sæpè verbulo parcis, loqui metuis, dicteria times, dum expedit, impium os debacchans in Evangelium, comprimere. *Non erubesco Evangelium. S. Paul.*

## S. EUCHERIUS EP:

20. Februarii.

*Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur. S. Paulus. ad Tim. cap. 3.*

**E**UCHERIO nascituro Infulam Aurelianaensem Angelus promisit; dedit deinde hæc Carolus Martellus; sed idem, cum aures calumniatoribus præberet, pessimo consilio ademit. Excepit Colonia exulem parum jam morantem, quâ in parte exilii potissimum

tissimum viveret, cum exilium esse totum orbem non malè jam tunc credidisset, cum Monachum prius quàm Episcopum induit. At verò gravius jam erit Carolo, cælo exulare. Certè EUCHERIUS dum inter preces Inferorum ergastula contemplatus est, vidit hunc ipsum Carolum non jam purpurâ sed ignibus ardere, didicitque ob manus sacris injectas, spoliisque pauperum ditatos milites (time Ætas nostra) corpore quoq; jam poenas dare. Atque EUCHERIO si fidem non dedit Gallia, certè tumulo potuit dare, qui apertus præter ignium vestigia vacuæque tumbæ custodem draconem, nihil ostendit. Itaq; qui exulare virtutem regno iusserat, tumulo etiam exul fuit, cum interim EUCHERIUS cælo receptus rideat illos, qui Patriam in terris quærunt: neque vacuum Gallis tumulum ostendat; in illo cæci oculos suos, claudi pedes, miseri passim

omnes salutem reperiunt,

Ex Surio,

M E D I T A T I O

*De persecutionibus.*

**V**irtuti infensus est mundus: Sancti quiescere, & gaudere in mundo nequaquam possunt.

possunt. Para te igitur ad ferendas eius persecutio-  
nes, si velis piè vivere in Christo JESU, ipsiq; eo  
animo servire. *Non est discipulus supra Magistrum.*  
O te felicem! quod ut JESUS, & pro JESU non  
nihil patiaris. Quàm suaves tibi esse debent mundi  
persecutiones, quibus sis amicus Dei! At quàm  
metuendæ! quàm crudeles ejusdem blanditiæ, quæ  
divinam solvunt amicitiam! *O seculum nequam, quod  
suos sic beare soles amicos, ut Dei facias inimicos!* Bern.

2. Flocci facias judicia & sermones mundi, cæcū  
quippe, temerarius, & iniquus est rerum æstimator.  
Cura duntaxat, ut Deo, & conscientiæ tuæ facias  
satis; quod ubi feceris, garriant, obloquantur,  
quantum voluerint alectæ mundi; sibi, non  
tibi nocebunt. Verborum, & factorum tuo-  
rum sanctitate, palàm proba, repudiare te tum  
placita, tum exempla mundi. Esto paratus ad in-  
jurias, dicteria, calumnias, & dic fidenter cum  
sancto Paulo: *Si hominibus placerem, Christi servus  
non essem.*

3. Persevera in usu bonorum operum, & à cœptæ  
virtutis viâ nullo modo discede. Sperne mundi co-  
matus; hac ratione virtuti tuæ factam injuriam, &  
prolata in te verba, gloriosius ulcisceris. Mundus  
arma ponet, ubi invictum te deprehendet. Ora Deum  
pro iis, qui ansam tibi præbent exercendæ patientiæ.  
Benefac iis, qui oderunt te; hæc oratio, & hoc  
exemplum charitatis efficiunt, ut omnes mirentur  
tuam virtutem, eamque non pauci imitentur.

S. MAURITIUS

S. MAURITIVS.

21. Februarii.

*Providemus enim bona non solum  
coram Deo, sed etiam hominibus.*

S. Paul. ad Cor. cap. 8.

**N**Vnquam tam fortiter pro sua Vrbe  
Romanus miles, quàm pro fide Ro-  
mana MAURITIUS cum sociis suis depugna-  
vit, Thebæ Legionis Antesignano ut no-  
mine, ita Virtute par, & cum eodem Re-  
ligionis hoste Maximiano Apameæ compo-  
situs, quem prior ille Agauni in Gallia su-  
peravit. Pugnabat Tyrannus in piū agmen  
vinculis, flagris, uncis, equuleo, ferro ac  
flammis; ingerebat quidquid telorum car-  
nificum turbæ suggerebant. Sed stabat im-  
mota ad hæc omnia fortissima Martyrum  
phalanx, gaudebat in vinculis, ridebat ad  
flagra, hebetabat uncas ac ferrum, ovabat  
in equuleo, in flammis triumphabat etiam.  
Quare ad dolos confugere coactus Impera-  
tor, cuniculis invictum MAURITII animum  
tentare aggressus est. Addicitur proinde  
morti filius Photinus, & per hujus jugulum  
parentis cor petitur: sed repulit affectum  
I paternum

paternum facile Christi amor, & vicit iterum  
 in filio parens. Locus erat medius paludem  
 inter & flumen, muscis, vespis & id genus  
 animalculorum examinibus infessus. Hic  
 ultimum committit Maximianus. Pendet  
 in oculis paternis filii corpus, scopus omni-  
 um militum jaculis ac sagittis; & quot  
 mortuum accipit vulnera, tot vivo parenti  
 reddit. Stat interim nudus in acie cum suis  
 MAURITIUS, palo alligatus, melle illitus,  
 innumeris vesparum aculeis confossus, &  
 tamen vel sic etiam Victor triumphat in  
 parvis bestiolis maximum tyrannum, mor-  
 temque demum obit melle, quo manabat,  
 dulciorem. *Ex Menais.*

### MEDITATIO

#### *De morum honestate cum virtute Christianâ conjungendâ.*

I. SI amari à Deo non possumus, quin odio si-  
 mus hominibus, sanè id genus odium pro ni-  
 hilo habendum. Quo vis temporali damno æternæ  
 salutis consulendum est. Unde duo inferamus oportet,  
 alterum, nihil unquam faciendum esse contra  
 Deum, ut acquiramus, & retineamus hominum ami-  
 citiam; alterum, nihil unquam omittendū esse eorum,  
 quibus possumus Dei gloriam procurare, quantum-  
 libet

libet retardet humani vituperii & odii metus. Levior est hominum benevolentia, quam quæ salutis animæ nostræ, & divinæ gloriæ anteponatur. Soli Deo laborare, & à solo Deo mercedem, aut pœnam expectare debemus, non ab hominibus, quorum remunerandi aut puniendi potestas cum vita perit.

2. Honestæ vivendi ratio à Christianis moribus aliena non est; Evangelium quippe apprimè convenit rationi: omnibus itaque, etiam inimicis tuis, benignum te & humanum præbeas, honoratiores partes cuiquæ concedas, comiter agas cum omnibus, neminem verbis aut factis lædas; hæc si feceris, Christianum te & honestum hominem probaveris.

3. Cave nihilominus ne charitate, humanitate, & ipsamet humilitate tuâ vanam gloriam aucuperis. Uni Deo placere studeas, cujus exequeris mandata, & cujus imaginem cernis in fratre. Hoc erit tibi facillimum, si Dominum in proximo semper intuearis. *Vidisti fratrem tuum; vidisti Deum tuum.* Clemens Alexandr.

## CATHEDRA PETRI ANTIOCHIAE.

22. Februarii.

*Tu es Petrus, & super hanc petram  
edificabo Ecclesiam meam, & por-  
ta inferi non prævalebunt adver-*

I 2

sus

*sus eam: Et tibi dabo claves Regni Cælorum. Christus. S. Matth. c. 16.*

**T**er felices estis, & ter sapientes Antiocheni cives, qui novam sacræ fidei aedificaturi fabricam, supra Petram prima collocatis fundamenta, Apostolico vertici Pontificiam Mitram imponentes. Bene tibi sit Syria, hodie tuæ Metropoli salus facta est per Petrum: pari beatitate impostera tota felicitanda. Non visum est quidem in his terris humanitate vestitum Numen, non transiit hâc benefaciendo & sanando omnes; delegavit tamen vicarium suum, eadem præstiturum, quæ incarnatus ipse DEVS. Statuerunt proinde ut Petrus posthac à Fidelium universitate Dei Prorex Christi; Vicarius adoraretur. Porro crescente discipulorum coetu, novo principi auctorati, novum nomen promerebantur: Compellati sunt igitur primùm Christiani, quod in reliquos deinde Orthodoxæ fidei Candidatos diffusum, hodieum retinetur. Cùm septennarium annorum in urbe Antiochena explevisset, statuit impellente Numine, Romam & urbium & errorum caput, seligere erudiendam, ac beatificandam. Abiit ergo illuc Romani Pontificatûs positurus initia.

## MEDITATIO

## De Ecclesiâ.

1. **U**na est Ecclesia, Sponsa JESU Christi, quia unus est Deus. In eam Ecclesiam singulari Dei beneficio cooptatus es: An tantæ gratiæ memorem te præstitisti Deo? una cum sit Ecclesia, par est, filios illius, primigeniæ charitatis æmulos, cor unum, & animam unam habere. Qua ratione pacem, & charitatem foves cum proximo tuo? Amore proximi agnoscitur discipulus Christi: *In hoc enim (ait Christus) cognoscent omnes, quia discipuli mei estis.*

2. Ecclesia sancta est, quia Christus caput ejus, sanctus est, sancti sunt ejus fundatores, in filii ejus tot fuerunt, & sunt sancti, doctrina demum illius, cæremoniæ, Sacramenta sancta sunt. Quàm multa ad sanctitatem, tum exempla, tum incitamenta! An hujus matris dignus es filius? Compara vitam tuam cum vitâ primorum Christianorum, qui diu noctuque perseverabant in oratione, qui bona sua Apostolis dabant, ut ea pauperibus dispertirent.

3. Ecclesia dicitur Catholica, hoc est, universalis, quia per omnem terram longè lateque diffusa neminem prorsus excludit: Dicitur Apostolica ab Apostolis, qui sanctitate, doctrinâ, & sanguinis profusione eam fundârunt ac stabiliêrunt. Ut germanus sis filius Ecclesiæ, pateat cor tuum, omni-

bus optulare. Nihil unquam facias, quod indignū sit capite & corpore, cuius es membrum. Memento, cuius capitis & cuius corpori sis membrum. S. Leo.

# S. LAZARUS MON.

23. Februarii.

*Sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem celestis.*

S. Paul. I. ad Cor. cap. 15.

**I**maginem pictoris pinximus, utinam suis coloribus & tam bonis, quam bonis ille alios Divos depinxit & LAZARVS est Monachus idem & Apelles, sed sanctior illo altero, ut qui non iam Veneres Cupidinesque (oculorum laqueos) sed Virginem & in Virginis sinu Virginem Amorem, aliosque Cæli indigetes animare penicillo solitus est, eoque studiosius, quod sub eadem tempora Theophilus Imper. sublata è medio omnia Divorum monumenta vellet, omnibusque poenis in eos sæviret, qui non conspuerent hæc, pedibusque calcarent. Pugnat ergo contra barbarum furorem docta manu LAZARVS, & peniculo reparabat, quidquid ferro ille in templis vel deleverat vel deformaverat. Captus igitur & ultimis tormentis

tis

tis excarnificatus, in ipso tamen carcere tro-  
 trophæa de Theophilo posuit, quot Icones  
 Divorum ( plurimæ erant ) pinxit. Tunc  
 enim verò excanduit irâ Tyrannus, ferroq;  
 & ipso candenti patronas Divorum manus  
 eò usque fœdum in modum adussit, dum  
 exanime corpus dolori succumberet. Neq;  
 sic tamen afflicto manus victas dedit LA-  
 ZARVS, sed precibus Imperatricis vitâ do-  
 natus, continuò in fano D. Baptistæ ejusdē  
 imaginem exornare aggressus est. Idem in  
 aliis templis, sublato è vivis Theophilo, fa-  
 ctitavit, felici semper manu, etsi non habe-  
 ret jam manum: *Ex Curopal. & Zona.*

## MEDITATIO

### *De imagine Dei.*

1. **A**D imaginem Dei creatus est homo; ejus  
 memoria, intellectus, & voluntas augustis-  
 simæ Triadis referunt similitudinem, allaborandum  
 itaque, ut exemplari quàm simillimæ sint tres illæ  
 facultates. Quapropter memoria infinitæ Dei po-  
 tentiæ continuò recorderetur, consideret intellectus  
 sapientiam filii Dei, qui factus est homo, ut ho-  
 mines salvaret; voluntas demum solo divini Spiri-  
 tûs igne ardeat. *Diligam te vita anima mea. August.*
2. Impressam animæ nostræ Dei imaginem pec-  
 catum omninò deturpavit, & fœdam dæmonis spe-

ciem superinduxit ; Siquidem peccator cum Deo nullam, cum diabolo magnam habet similitudinem. Cujus es imago ? Cui similis ? An Deo ? An demoni ? Vide actiones tuas. Nunquid ex illis tuis actionibus non temerè argui posset, hominem esse te multis vitiis obnoxium, atque adeò te demoni potius, quàm Deo similem esse ?

3. Redde animæ tuæ priorem ejus imaginem. Christus exemplar est, quod semper habere debes præ oculis. Accipe igitur imaginem Christi de cruce pendentis, in hac imagine, sicut in speculo nimè fallaci, vitia tua deprehendes. Ut sis similis Jesu, habeas oportet spineam coronam in capite, in ore fel & acetum, & in toto corpore dolores, & cruciatus: Oportet etiam, ut & omnia facias, & omnia patiaris ad procurandam Dei gloriam. *Sua quicq; vita pictor est, artifex hujus operis est voluntas, colores sunt virtutes, exemplar Christus. S. Greg. Nyss.*

## S. MATHIAS.

24. Februarii.

*Cecidit fors super Mathiã, & annumeratus est cum undecim Apostolis.*

Act. Apost. cap. 2.

Quem locum scelere infandò & morte infami vacuum Iudas fecit, eum hodie MATHIÆ virtus occupavit, numerumque numero

numero suo carentem felicissimè instaura-  
 vit, cum nobilissimo Candidato cæli etiam  
 vota suffragarentur. Ergo postquam Orbi  
 bellum movere placuit, MATHIÆ provin-  
 cia decreta est Iudæa, ob infensissimâ popu-  
 li in Christum odia, longè id temporis dif-  
 ficillima. Sed magnis animis hanc aggressus  
 MATHIAS facilè debellavit. In Æthiopiam  
 quoque excurrit. Ibi pugnatum verbis ac  
 prodigiis persapè, & expugnati multorum  
 animi Christo & Mathiæ deditiōne fecerunt.  
 Interea successu rerum felicissimarum rum-  
 pebantur Pontifices, uti populi ita odii in  
 Christianos, principes. Neque tamen aliud,  
 quàm triumphum parabat invidia. Hunc  
 concessit Pseudo Pontifex, cùm mortem in-  
 dixit. Magnum deinde fecit populi concur-  
 rentis furor. Ornârunt præ reliquis testes  
 duo mendaces, iidemque carnifices, ut qui  
 primi MATHIAM lapidibus petierunt. Hos  
 ille velut acclamantium symbola accepit,  
 velutiq; Triumphus sui decora tumulo secum  
 inferri præcepit. Denique ut integer suis  
 pompæ honor constaret, secures, quæ præ-  
 ferri aliàs solebant, ipse triumphator tulit.

*Ex Ioach. Perionio.*

(080) 140. (080)  
M E D I T A T I O  
*De Vocatione.*

1. **D**eus vocat unumquemque ad illud vivendi genus, in quo salutem consequi possit. Deo quasi Regi potentissimo serviunt homines cujuslibet ordinis, dignitatis, artis. An vocavit te Deus ad vitæ rationem, quam tenes? An vanitas? An divitiarum, aut voluptatum cupido? si fortè hoc ita esse deprehendas, jam puriorem intentionem & rectiorem animum habe, Deoque promitte, te deinceps hoc in vitæ genere solam ejus voluntatem & gloriam quæsiturum. Si nullum adhuc fixum ac certum vivendi genus habeas, illud duntaxat memineris suscipere, quod suggeret Deus.
2. Pete à Deo, ut ejus voluntas penitèns tibi innotescat, ut possis eligere, quod gloriæ ejus, & tuæ salutis conducet magis: Ne audias carnem, mundum, voluptates, commoda: in negotio cælesti cæleste requiritur consilium. Frequens oratio, austeritatum usus, sacra Synaxis, aliquot dierum solitudo huic faciendo delectui maximè proderunt. In aliis itidem actionibus alicujus momenti eundem tene eligendi modum. Semper consilium pete à Domino, nunquam negabit.
3. Vocanti Deo pareas, cum probè intellexeris ab eo te vocari. Si S. Mathias divinæ voluntati & Apostolorum electioni restitisset, non hodie in honorem ejus festus dies in Ecclesiâ ageretur. Si Dei vocem, & divinas ejus motiones neglexeris, ridebit

ridebit Deus animam agentem! ait enim: Vocavi  
 & renuistis &c. ego quoq; in interitu vestro ridebo, &  
 subsannabo vos. Proverb.

## S. TARASIVS.

25. Februarii.

*Hoc est corpus meum, quod pro  
 vobis datur: hoc facite in me-  
 am commemorationem. Luc. 22.*

**P**ER gradus honorum, ex quibus alii præ-  
 cipites ire solent, ad astra TARASIVS eva-  
 sit. Consul principio, tum inter eos, qui  
 ab arcanis literis Imperatoribus erant, Prin-  
 ceptus: demum Archiepiscopus Constantino-  
 politanus Insulam, quam alii gemmis or-  
 nant, ipse virtutibus ornavit: has inter eas-  
 q; multas & pulcherrimas potissimum emi-  
 cabat animi demissio, quâ TARASIVS pau-  
 peribus, quos multos & alebat & vestiebat,  
 quotidie cibos ex mensa sua submittebat,  
 ipse carptor & persæpè (sub festa paschalia  
 præcipuè) ipse dapifer. Atque hac ille vir-  
 tute tantum abest, ut auctoritatem suam,  
 quâ erat, imminutum iret, ut talis etiam  
 Imperatoribus fuerit formidandus. Suppli-  
 cem

cem certè ad aram, quem regiae cohortes  
 per vim abstraxerant, reddi sibi suus ipse  
 cialis fecit. Constantino Imperatori, aucto  
 re amore vago, repudium meditati facien  
 tiq̄ue, unus ferè sese opposuit, purpuram  
 purpuræ, coronam coronæ, sceptróq; augu  
 stius pedam objicere non dubitavit. Quid  
 quod vel mortuus vivo Leoni Imperator  
 terrori fuit. Cùm enim hic nomine etiam  
 suo crudelior, templa passim, & in his ima  
 gines Dei Divorumq̄ue vastaret, somniavit  
 TARASII imperio, à nescio quo Michaële  
 confossum. Et risit fortè mortem, cùm vi  
 gil vivere se vidit; sed die sexto à Michaële  
 Balbo confossum potuit dehinc sine su  
 perstitutione somniis credere.

*Ex Surio.*

MEDITATIO

*De S. Missæ Sacrificio.*

1. **C**hristus augustissimum Missæ Sacrificium in  
 stituit ad honorem & gloriam Patris æter  
 ni; in eoq̄ue Sacrificio, cujus Deus est victima, sic  
 honoratur Pater æternus, ut magis non possit ho  
 norari. At si Sacrificium hoc Deo honorificentis  
 simum est, hominibus etiam est utilissimum: nam  
 homines sperare debent, se nihil non impetraturos  
 meritis Jesu Christi, qui singulis diebus pro nobis  
 immol-

immolatur. Quid enim Pater negare posset languini, & vulneribus Filii sui? *Cum in altari Christus offertur, clamat idem Redemptor ad Patrem, corporaliter suas cicatrices ostendens.* Laur. Just.

2. Ut religiosius Sacro intersis, memento Jesum Sacerdotibus præcepisse, ut Sacrum facerent in memoriâ suæ passionis. Sacerdos Christi, ara crucis vicem gerunt: ille ipse Deus immolatur, qui in Calvario monte de Cruce pependit. Sed heu! fortè huic incruento sacrificio interes, ut Judæi carnifices cruento, impietate nimirum, & irreligioso corporis habitu iterum Christum crucifigens.

3. Quadrariam dividi potest Missæ Sacrificium. In primâ parte attende ad tua peccata, pro quibus expiandis mortuus est Christus. & supplex veniam pete. In secundâ, meditare dolores Christi. In tertîâ, sacro Eucharistiæ pabulo refici ardentè concupisce, & dum Sacerdos sacramentaliter Jesum recipit, eum tu spiritualiter recipe, repetitis actibus fidei, desiderii, charitatis. In quartâ demum, gratias age pro acceptis ab eo beneficiis, & te totum ipsi consecra.

---

## S. PORPHYRIUS EP.

26. Februarii.

*Si gloriari oportet, qua infirmitatis  
meæ sunt, gloriabor. S. Paul. 2. ad Cor. 12.*

PORPH-

**P**ORPHYRIUS Hierosolymæ æger, quotidie  
 loca sacra cum pedibus non posset, ge-  
 nibus obambulabat, expeditissimam viam  
 ad cælum credens Christi vestigia. Et fuit  
 cum ad pedem Calvariæ montis triste ocu-  
 lis spectaculum, jucundum tamen animo,  
 objectum est, Christus cruci affixus, & pone  
 felicior è geminis latro. Igitur cum latronis  
 verbis etiam PORPHYRIUS Servatorem com-  
 pellâset, iussit hic descendere latronem è  
 cruce, & opem ægro ferre. Descendit, oc-  
 culum tulit, manuque peramanter prehen-  
 sum ad Christum secum itaret, invitavit.  
 Interea properanti obvius ipse in amplexum  
 Servator ruit, iussitq; dulce onus Crucem  
 suam ferre. Tulit lubens, & verò laboris  
 pretium sanitatem abstulit. Proinde sacris  
 initiatus PORPHYRIUS & custodiæ Sanctissi-  
 mæ Crucis præfectus est. Ultimò Pontifex  
 Gaze inauguratus signo Crucis pluviam è  
 cælo supplex evocavit, infamem Veneris  
 statuam deiecit, & Manichæam mulierem  
 elinguem reddidit; probavitque hunc in  
 crucem amorem ipsum Numen, quando  
 lapsos in puteum tergeminos pueros salvos  
 parentibus reddidit & miraculosâ cruce in-  
 signitos. Illud ad posteros memorabile,  
 cum

cum fana Gazæ nobilissimæ superstitioni paterent, neque demolitionem horum impetrare jam ab Arcadio posset, supplicasse PORPHYRIUM vix nato Theodosio, & cum hic alieno nutu assensum præbuisset, votorum tandem positum omnia Deorum templa destruxisse, Deo deinde aliud in Crucis formam ædificasse, & cineri tuo, & famæ monumentum.

*Ex Metaphr.*

## MEDITATIO

### *De verâ gloriâ.*

1. **I**N quo ponis veram Christi gloriam? Si mundo servias, & ejus agaris spiritu, haud dubiè respondebis mihi: vera gloria sita est in divitiis, fortitudine, liberalitate, scientiâ. Ut autem tam brevis, & tam vana gloria comparetur; sæpiùs corporis, animæ verò semper salus periclitatur. Quid tibi, quid post mortem hæc proderit gloria? quandoquidem laudaberis, ubi non eris, & cruciaberis, ubi eris. *Laudantur, ubi non sunt; cruciantur, ubi sunt.*

2. Vera gloria à Dei existimatione pendet, *Servire Deo, regnare est.* Quàm gloriosum mihi, si mea facta Deo, ac cælitibus per totam æternitatem probentur! Quis honos Sanctorum honori componendus, quo in cælis juxta ac in terris afficiantur? Ambitiosi jam despiciite vanos, & perbreves honores mundi; Christus veros & æternos daturus est, quibus

quibus sanè vestra gloriæ & honorum sitis omninò  
expleri potest: hos honores quærite. *si honoribus  
opibusq; capimur: veris honoribus, opibusq; capiamur.*  
Eucher.

3. Ut veram Christi gloriam acquirere possis,  
oportet, ut contempnas gloriam mundi, atque pro  
Christo, & magna facias, & dura patiaris. Sperne,  
age, patere: his tribus tanquam gradibus ad veram  
Christiani gloriam pervenies. Quid adhuc fecisti,  
quid passus es Christi causâ? A minimis incipe;  
non deerunt tibi occasiones; iis tu ne desis.

---

## S. LEANDER EPISCOPVS.

27. Februarii.

*Diliges Dominum Deum tuum ex  
toto corde tuo, ex tota anima  
tua, & ex tota mente tua.*  
Christus. Matth. cap. 22.

**C**Or igneum quod manu gestat LEAN-  
DER, sui in DEVM amoris est argu-  
mentum. Quem iuvenis concepit ignem,  
extinxit nunquam: arsit quamdiu vixit.  
Quæris ubi primùm has flammâs hauserit?  
in communi illo igniario virtutum, divini  
amoris

omnino  
honoribus  
apiamus.  
possis,  
que pro  
Sperne,  
d veram  
fecisti,  
incipere;  
s.  
R  
m ex  
tima  
tua.  
EAN-  
argu-  
nem,  
vixit.  
serit &  
divini  
noris

amoris camino, religiosorum asceterio; hoc  
est in monasterio. Compulsus ad mitram  
Hispalensem, totus ignis erat, luxit & arsit.  
Luxit animis jam longâ noxarum caligine  
lippientibus, quas ad meridianam virtutum  
lucem protraxit; arsit Arianis, accendit eos  
doctrinâ, docuitque Solem justitiæ intueri.  
Nunquam quievit hic ardor, crevit ignis  
cundo. Non tantum commissum sibi gregē;  
sed universum Hispaniæ imperium inflam-  
mare aggressus est. Ut ageret opportunius,  
cœpit à Rege Recaredo, quem subito dis-  
cussâ errorum nube ita irradiavit, ut diem  
nocti, lucem tenebris, veritatem mendacio  
præhaberet, fueritque Regum Hispanorum  
primus, qui Religioni Catholicæ dixerit  
Sacramentum.

## MEDITATIO

*De Amore Dei.*

1. **A**ma Deum ex toto corde tuo, ex tota ani-  
ma tua, ex tota mente tua, hoc est, ad  
unum Deum refer cogitationes, verba, actiones,  
desideria, omnem denique vitam tuam. O te feli-  
cem! si ames, & amando possideas Deum: nam  
habet omnia, qui Deum habet, & caret omnibus,  
qui Deo caret: Quid adhuc amâsti? pudet memi-  
nisse. Amantissime Jusu, cognosceant te homines,

& amabunt te, quia parum cognosco, parum amo Aug

2. Ama Deum ante omnia, cum omnia bonitate vincat. Descende in animum tuum: vide utrum magis diligas parentes, amicos, voluptates, divitias, famam, quam Deum? An is es, qui bonis omnibus, & vita quidem ipsa citius carere velis, quam amore Dei? Si aliter affectum te sentis, frustra predicat tuum in Deum amorem, ficta sunt verba tua, fictus tuus amor, & brevi facta tua pugnabunt cum dictis tuis. Dilige illum, qui tibi est, quidquid amabile aut optabile esse potest Bern.

3. Scirene cupis, utrum sincero amore Dominum prosequaris? vide; an diligenter observes ejus mandata. Qui habet [ inquit Christus ] mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me. Qui secus fecerit, Deum diligere se, falso gloriatur. Amanti Deum, & ejus mandata observanti tanta promissa sunt, ea tamen omnia pro nihilo habemus!

S. LUPICINVS  
CONFESS.

28. Februarii.

*Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnum Cœlorum. Matth. 3.*

**E**Adem studia & vitæ rationem eandem laudies in Lupicino & Romano, ut merito

ito Fratres credamus Germanos fuisse. Am-  
 bo siquidem Virginitatem à teneris coluere,  
 ambo hostes, qui ad Nuptias impellebant,  
 heu! nimium fortes, parentes habuere. Pu-  
 gnavit tamen pro filiis fortior in hos Mors,  
 & illi pudorem in eremum extulerunt. A-  
 derat hostis Orcus & crebrâ lapidatione ty-  
 rones animos terrebat, jamque in eam de-  
 sperationem adduxerat timidos, ut in patri-  
 am repedarent, cum ex itinere à matronâ  
 pia de turpi fuga notati etubuerunt, viris  
 animos à foemina addi, & ut admissum  
 dedecus eluerent, sublata manibus Crucis  
 signa in hostem iterum verterunt, totâque  
 Victores Eremita fugerunt. Tum denique  
 cum ad signa mortalium plurimi, qui con-  
 tra Mundum nomen darent, concurrerent,  
 terna castra, terna Coenobia sunt metati,  
 more veteri omnem inde mulierem proscri-  
 bentes. Stipendium intuper cœlum dedit,  
 cum Lupicino defossas opes ostendit. Lux-  
 um tamen hic & delicias ciborum severâ  
 disciplinâ damnavit, eamque ob causam si-  
 gna duodeni turpiter deseruerunt. Sed his  
 quoque reditum ad stationem suam Roma-  
 nus precibus suis impetravit. Idem cum  
 apud leprosos divertisset, sordes pedum aquâ,

taclu verò suo omnem in corpore leprati  
abstergens, divitem hospes symbolam,  
sanitatem reliquit.

S. Greg. Turon.

MEDITATIO

De Pœnitentiâ.

1. **A**ge pœnitentiam, numquid peccator es?  
Quid necessarium magis Peccatori pœni-  
tentiâ? Ecquid procrastinâs? Regnum Cœlorum  
prope est, forsan brevi morieris; Et mortis pun-  
cto, si Deo nondum feceris satis, quid de te fiet?  
Quid adhuc pœnitentiæ nominae passus es? An  
credis Religiosis, non mundanis hominibus pœni-  
tentiâ convenire? Quasi verò iis, qui rariùs, &  
leviùs; non iis, qui sapiùs, & graviùs peccant,  
pœnitentiâ conveniat?
2. Sed quonam modo aggrediar ad hanc pœni-  
tentiâ? eodem planè, quo peccâsti. Peccando  
res creatas Deo anteposuisti, jam Deum antepone  
rebus creatis. Sulceptis ultrò laboribus macera  
corpus tuum, quod voluptatibus libidinibusq; in-  
dulsiit. Mollioris vitæ es amans? omninò necessa-  
ria tibi est pœnitentiâ, & illa quidem pœnitentiâ,  
si fieri potest, ex corde suspiria, & ex oculis fletus,  
ne dicam sanguinem è venis elicere debet.
3. Persevera in duro pœnitentiæ exercitio ad ex-  
tremum usque spiritum. S. Romanus tantùm non  
fructum laborum suorum amisit, quòd parùm con-  
stans pœnitentiæ laboribus frangeretur. Quàm ie-  
ves!

ves ! quàm jucundi erunt labores pœnitentiæ ! si interdum consideraveris horrendas veterum monachorum austeritates, & tormenta, quæ Christus pro te passus est. Equam est, ut per brevissimum vitæ nostræ spatium æternam quæramus felicitatem.

*Quæramus usq; in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Euch.*



MARTIUS.

S. SVVIBERTUS.  
EPISCOPVS.

i. Martii.

*Tu si vis esse celum, purga de corde tuo terram : si vis esse stella cali, purga sordes terra. Aug. in ps. 96.*

Hujus etiam splendorem multò ante, quàm nasceretur, stella nuntiavit, in matris lectulum visa delabi. Proprium certè sidus in SWIBERTO Hollandi, Daci, Lotharingi, Brunovicenses, Frisones, Westphali, Saxones, Colonienses, aliiq; agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in superstitionis nocte prælucere cœpit, cum

K 3 primùm